

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

3tia vicujus te indies B. V. dedicas.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

252 *Pars tertia*

possedit ab initio, & sub pallio tuo contra omnes adversantium impetus custodis, quamque ob propagatum immaculatae Conceptionis tuae cultum prærogativâ castitatis à filio tuo imperatâ decorâsti. Promove & serva illam semper in nomine tuo, nosque clientes ac filios tuos misericorditer respice. Paupertate, castitate, caritate, sinceritate, humilitate, fortitudine in agendo ac patiendo pro Dei gloria, zelô animarum, orationis spiritu, & tenerâ ac constanti erga Immaculatae Conceptionis tuae Mysterium devotione conspicuos effice, atque ab omni malo præsertim relaxationis instituti defende. Amen.

*3ria vicujus te indies B. V. dedicas.*

**S**ancta Maria Mater Dei & Virgo, ego N. peccator vilissimus, & undequaque purissimo conspectu tuo indignissimus, impulsus desiderio tibi serviendi, ac fretus pietate tuâ singulari, coram benedicto filio tuo & curiâ cœlesti universâ dedico me tibi hodie in servum & mancipium tuum, eligoque te in singularem meam Dominam, Matrem & Advocatam; & firmiter propono, me nunquam te derelictum, sed semper honorem tuum, & maximè Mysterium Immaculatae Conceptionis tuae in primo Conceptionis momento defensurum. Te itaque Virgo sacrosancta per sanguinem unigeniti Filii rui JESU Christi oro, ut me in servum perpetuum admittere digneris, adisque mihi in omnibus necessitatibus meis, nec me deseras in hora mortis meæ. Amen.

Post

Post orationem hanc reflekte paulisper, quid  
hodie specialiter in honorem B. V. agere, pati,  
&c. velis.

## PRAXIS SECUNDA.

**C**onsistit in quotidiana devota recitatione  
Litaniarum Lauretanarum. Cui subjun-  
guntur consuetæ preces: *Sub tuum præsidium,*  
*Ecce. Item tres salutationes Angelicæ totidemque*  
*oratiunculæ sequentes.*

### *Post 1. Ave Maria.*

**O** Domina mea S. Maria, sicut Deus Pater  
per omnipotentiam suam te potentissimam  
effecit, ita quæso mihi adsis in hora mortis  
elongando à me omnem contrariam potesta-  
tem.

### *Post 2. Ave Maria.*

**S**icut Filius Dei tantâ te cognitione & claritate  
dignatus est, ut totum cælum illumines, ita  
in hora mortis animam meam cognitione fidei  
sic illustres ac corroboreres, ut nullo errore aut  
ignorantiâ pervertatur.

### *Post 3. Ave Maria.*

**S**icut Spiritus S. suum amorem tibi plenè infa-  
dit, ita tu in morte dulcedinem amoris di-  
vini mihi instilles, ex quo omnis amaritudo red-  
datur mihi suavissima. Amen.